

const 1. v. f.

Q. D. B. V.

SCIAGRAPHIAM

De

STUDIO

EXCERPENDI

*Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
Benevolo Indultu*

Sub

PRAESIDIO

DN. M. ERDMANNI UHSEI,

Civis atque Fautoris sui æstumatissimi,

In Academia Lipsiensi celeberrima.

Die 6. Septembris. A. O. R. M. DC. XCIX.

In Auditorio Collegii Majoris Principum

Publico Placidoq; Eruditorum Examini

sistet.

AUTOR - RESPONDENS

JOHAN. BALTHASAR Schubert/

Gubena - Lusat.

B. A. & Philos. Bacc. SS. Theolog. Studiof.

L I P S I Æ,

Literis Joh. Andreae Zschauens.

37

O. D. N.

SEIAGRAPHIAM

de

STUDIO

EXCERPENDI

Amplius tractatus de

Benvenuto Lantini

de

FRANCO

DR. M. ERDMANN

Civitate Francofurtensis

In Academia

de

In Antonio Collegio

Publico Francofurtensis

de

ANTONIO


JOHANN. MATTHIAS

Gebens

de

LIT. A.

de



I. N. F. A.

PROOEMIUM.

Multi fuerunt & adhuc sunt Locorum
Communium Scriptores, quorum lon-
gam seriem videre licet in B. Morhofii
Polyb. P. 1. L. 1. cap. 21. & 22. Multi sunt, qui
Excerptendi Studium aliis serio commendant.
Drexelii in Aurifodina P. 1. C. VII. verba sic
fluunt: Quisquis unquam in literis serio pro-
ficere laboravit, Notandi & Excerptendi la-
borem non fugit. Hæc una ad artes & scien-
tias compendiaris via est. Fugis hos labores?
fugis ergo scientias, & ut desidiam non repellas,
ignorantiam amplecteris, quia magis plurima
nescire, quam ea cum studio Excerptere. &c.

Multi sunt, qui consiliū hoc rite observant. His

A 2

&

Ego me haecenus adjungere studui: num autem
praxis mea errori innitatur, praesenti exper-
tum ibo specimine? Et quid per Excerptendi
Studium intelligatur, vix forsitan erit, qui igno-
ret; si tamen, quid sit, breviter dicendum, ita
statuo: Studium Excerptendi est labor erudi-
tus, quo optima quaevis colligimus redigentes ea
sub certos titulos. Quam vero prolixus hic
labor sit, nemo non videt; proinde Sciagra-
phiam tantum de eo sumus exhibituri. Qui
pleniorum deductionem optat, eam deprehendet
in Udenii excerptendi arte nova. Et ne sine
methodo procedamus, ad quinque imprimis re-
spiciemus membra, ita, ut inquiramus 1)
Num excerptendum? 2) Quid excerptendum?
3) Unde excerptendum? 4) Quomodo excer-
pendum? 5) Quo excerptum redigendum sit?
Faxit DEUS benignissimus, ut omnia succe-
dant feliciter!

MEM.

MEMBRUM I.

Num Excerptum sit?

I.

Num Excerptum sit, non gratis quæritur: Sunt enim inter eruditos, quibus studium hoc superfluum, imo noxium esse videtur. Tot dantur juxta ipsorum opinionem Volumina, in quibus optimi eruditionis thesauri deprehenduntur; subnexi sunt tam prolixo & accurati rerum pertractatarum Indices; Memoria quorundam tam est excellens, ut Locis Communibus optime supersedere possimus; insuper Studium Excerptorium nimium devorat temporis, ut pauca perlegi queant, cum sine eo longe peritiores evadamus.

II.

Ast hæc ipsorum verba tantæ non sunt autoritatis, ut iis subscribendum veniat. Verum est, dari hodie Volumina Eruditionis plena, sed in iis omnia contineri, ut plane nihil addi queat, negare audeo; Indices rerum quandoque satis sunt prolixo (dantur tamen & breviores) si modo & satis accurati. Non iidem Indicum, qui librorum autores: Inde est, quod sæpe titulus in Indice extet, ad quem res allegata neutiquam quadrat. Et si vel maxime syllabi isti ab acuto quodam ingenio proficiscantur, tamen sæpe in iis frustra quæritur, quod ibi nos reperturos esse credimus, cum Loci Communes nos ad justum locum manuducant, nec diu oberrare sinant; Præditi sunt quidam egregia memoria, ut & paginam, imo lineam a selectorum sine opera ostendant: Ast plures offendimus, qui hoc naturæ beneficio carent, & quid legerint, paucis post diebus sciunt; Sistent se etiam exempla eorum, quos memoria esse gerere racula: sed quot ipsis accidere possunt morbi, ut ista memoria ^{is} opus mirum quantum minuatur & ipsi pro admiratione ^{disputatio-} misericordia egeant. Quis quæso Celeberrim^{is} excerpti possunt, id memoriam non admirabatur; eo tamen vir ^{is} hinc autem scriptis redactus, ut nec liberos suos nominare ^{is} excerpta veniunt. notus est Messala Corvinus, qui, ut Plinius ^{is} Verbalia, Excerpta & sui nominis oblitus est. Concedim^{is}

II. Quod

A 3

studium multum absumat temporis, & quod plura eo intermisso perlegi possint: verum enim vero satius est pauca legisse eaque ad usum semper in promptu habere, quam multa imbibisse, & cum necessitas ingruit, nec sui ipsius, nec alius cujusdam eis sedare posse sitim. Mercator dispositioni mercium suarum in certa loca tempus libenter impendit, ut post emtoribus, quæ postulant, sine mora exhibere suamque commoditatem promovere possit.

III.

Quid multis? Excerptandi Studium est utile, est necessarium. Mentem, ut dicta probentur, sic contraho: Studium hoc *a*) est utile: nam per id *1*) acuitur ingenium, ut ea, quæ selegenda nobis offerunt, penitus inspiciamus, attentique & cupidi lectores fiamus, cum alias fugitivus tantum oculus oblatis concedatur & sic multa legentem fugiant, imo multa plane non curentur. *2*) promovetur judicium, dum res optimas seligendo, prolixas contrahendo, easque sub genuinum titulum redigendo acuti reddimur. *3*) lecta legentium memoriae firmiter imprimuntur & *4*) futuris necessitatibus succurritur. Hinc dicit Dauth. in Orat. de Stud. Jur. Nemo Locorum Communium adminicula aspernetur, quibus maximos Jure Consultos plurimum adjutos scimus. *c*) est necessarium: quia *a*) omnia, quæ legimus, memoria tenere nequimus. Memoria hominis est labilis: quocirca magnopere enitendum est, ut quod memoriae viribus effici non potest, solerti id calamo suppleatur ex J. Cti Gribaldi consilio. *b*) multi de pauperum sorte libros ipsos sibi comparare non valent, quorum tamen lectio rerumque optimarum extractio iis non denegatur. *c*) quidam libri sunt rari, ut eminentium manus non admittant; hinc ex aliorum communicatione iis utendum. *d*) in officio laborioso constitutis prolixa perlegi **dam**unt, quibus tamen brevia excerpta percurrere licet. *e*) alias temporis sola lectione, nullum aut exiguum sane post se commodum infumitur.

IV.

orum veritatem confirmarunt ii, qui neglectum res deplorarunt, vide eos in *Morhofii Polyb.* firmant adhuc ii, quibus juxta ipsorum rum suorum jactura foret tolerabilis, dum

dummodo Collectanea salva maneant. Nec ratione inconsulta loquuntur: reliqui enim libri sunt recuperabiles, Collectanea vero nulla pecunia redimi possunt, quibus tamen per integrum fere studiorum cursum insudatum est. Confer *Udenii excerpenti artem novam cap. 1.*

V.

Et ut etiam hoc subjungam: Tot exercitatissimi & prudentissimi viri Excerpti studio tantopere nequitam incubuissent, idque aliis, quorum salutem curant, commendarent, nisi illud utilitas svaderet & necessitas. Quid *Celeberrimum WEISIUM Praeceptorem & Patronum meum aeternum summopere devenerandum* impulisset, in libris suis elegantissimis, praecipue in *Idea Statistica*, item in *Oratore Politico & Erudito* praecipua & exempla de Collectaneis immiscere, nisi id haberet & longa praxi deprehendisset utile & necessarium. Idem procul dubio permovit etiam *Excellentissimum Doctorem WEIDLINGIUM Praeceptorem nostrum & Patronum aeternum submisit colendum* duo *Excerptorum Oratoriorum* Volumina edere, in quorum altero e Reformatis Anglorum Theologis, in altero e Lutheranorum res optimae sub certos titulos collectae exhibebuntur.

MEMBRUM II.

Quid Excerptum sit?

I.

Non sufficit ostendisse, quod Excerptum sit; verum etiam dicere convenit: Quid Excerptum? Quo de nunc agere instituimus. Integra scripta exscribere non artis, sed laboris opus esset: nihilominus tamen integrae epistolae, orationes, disputationes, inscriptiones, carmina, imo integri libri excerpti possunt, id quomodo fiat, dicetur inferius Membro IV. Ex hisce autem scriptis non omnia & notissima, sed tantum meliora excerpta veniunt. Singula ad duas redeunt classes: Excerpta sunt *Verbalia*, Excerpta *Realia*,

II. Quod

II.

Quod ad *Verbalia* attinet, non possum non hoc addere, quosdam esse tam in excerpando religiosos, ut & excerpi velint simplices voces, phrasas, epitheta, formulas epistolas & orationes exordiendi, concludendi, connectendi, adhortandi, dehortandi, consolandi, benevolentiam captandi. Sed quid, quæso, opus, hunc in se suscipere aliique inponere laborem, cum voces & phrasas bona lexica, reliqua verò tum præcepta rhetorica, tum substrata materia, tum iudicium nostrum suppeditent. *Verbalia* tamen, ut dixi, excerpenda sunt Philosophiæ, Politices, & Theologiæ Studiosis, de Juris peritis & Medicis nihil dicam, cum ignorantia hic me tacere jubeat. Interim nemo dubitabit, & illos habere, quod excerpant.

III.

Respiciat itaque Philosophiæ Studiosus ad terminorum philosophicorum Etymologias veras & spurias, Synonymias & Homonymias; Politices cultor, quem Oratoria commendare debet, attendat probe ad locutiones heroicæ, sententias, meditationes, similia & emblemata, imprimis verò maximo cum studio observet ita dicta Curialia, ne impingat, cum ipsi de rebus politicis coram hæc callentibus loquendum.

IV.

Eodem modo & Theologiæ Studiosus 1.) pro explicandis sacris textibus annotet voces, phrasas & locutiones emphaticas, nec non elegantes paraphrasas & varias interpretationes; 2.) pro habendis ad populum concionibus conscribat, si quæ ipsi obveniunt, locutiones penetrantes, quibus Patres, item B. Lutherus & Henricus Müllerus aliique non infrequenter usi sunt, qualis est B. *Lutheri Tom: 3. Jenensi. Fol: 183. A.* Welchen Gott will fromm machen/ den macht Er zu einem verzweiffelten Sünder; Welchen Er will Flug machen/ den macht Er zum Narren; Welchen Er will starck machen/ den macht Er schwach; welchen Er will lebendig machen/ den steckt Er dem Tode in den Rachen; Welchen Er will gen Himmel führen/ den senckt Er in Abgrund der Höllen/ und so fort/ welchen Er zu Ehren/ zur Seeligkeit/ zur Herrschafft hoch und groß bringen will/ den macht Er zu allen Schanden/ verdammt/ zum Knecht/

Snecht/ niedrig und flein. Hue pertinent etiam similia, proverbia, symbola & cantilenarum versus.

IV.

Verbalia hæc sub se quidem etiam comprehendunt Realia, horum tamen quædam nominasse, non erit inconueniens. Colligat ergo Philosophiæ operam impendens varias in Philosophicis sententias, definitiones & divisiones, item diversas sectas, tum quæ Philosophiam in genere, tum certas quasdam disciplinas in specie concernunt, & sic varia principia seu hypotheses, nec non fata, quæ disciplinæ antiquis & novis temporibus, ante & post B. Lutheri Reformationem in hac & illa Academia expertæ sunt &c.

V.

Politices Studiosus notabit 1) respectu Oratoriæ varia exempla seu historias, meditationes aliaque Illustrantia & Amplificantia 2) respectu Politices specialis administrationis formam, Religionem, Rationem Status &c. 3) respectu Historiæ bella, pacificationes, fœdera, mutationes Rerum publicarum &c. 4) Respectu Geographiæ regionis situationem, aëris conditionem, vicinos, maria, fluvios, montes, sylvas, metalli fodinas, & salinas, thermas, incolarum genium & negotia &c. item urbes, in-que eis statuta, ritus nuptiales & exequiales, templa, curias, scholas, bibliothecas &c. 5) respectu Genealogiæ Personarum illustrium nativitatem, educationem, virtutes & vitia, nuptias, mortem, consanguinitatem & affinitatem &c.

VI.

Theologiæ Studiosus conquirit sibi 1) ratione Oratoriæ Sacræ Summam scopumque totius libri, capituli & textuum, item apta exordia, dispositiones egregias, meditationes, & porismata populum ædificantia: nec non argumenta ponderosa, quorum usus in nuptiis, exequiis, juramentis, aliisque casibus extraordinariis insignis est. 2.) ratione doctrinæ fidem & mores concernentis, bonas definitiones, divisiones, argutas meditationes & specialium casuum decisiones 3) ratione Historiæ Ecclesiasticæ, Doctores Orthodoxos, hæreticos, schismaticos, item concilia, persecutiones &c.

B MEM

MEMBRUM III.

Unde Excerptum sit?

I.

Postquam itaque satis, ut opinor, demonstratum, quid excerptum sit, nunc etiam dicemus: Unde Excerptum sit? Et hic se aperiunt fontes *intra & extra nos*.

II.

Intra nos dantur propriae meditationes de re quâdam institutæ, quæ, si bonæ, notandæ: Non enim omnium horarum Domini, nec semper meditationibus profundis apti sumus. Hoc probe callebat Imperator Carolus Magnus, qui pulvinari suo apponere solebat membranam & calamum, ut noctu quoque annotare posset, quæ forte incidebant.

III.

Extra nos sunt varia, quibus hac in re uti possumus. Hic igitur excerptum est 1) e Libris. Non omnes in Individuo libri allegari poterunt, sed tantum eorum species; nec oculos vertam ad omnes, sed ut ante dictum ad solos Philosophiæ, Politicæ & Theologiæ Studiosos. Qui proinde Philosophiæ operam navant, ad Excerptum legant Philologos profanos & Philosophos, ejus imprimis disciplinæ, in qua excellentiorem sibi acquirere cupiunt notitiam, minime omissa historia literaria & philosophica; Politicæ Studiosus evolvat diligentissime Oratores profanos, imprimis aulicos, Politicæ generales & speciales, libros historicos, geographicos, genealogicos, annales, Chronica, novellas, itineraria, legationes, pacificationes aliaque acta publica; Theologiæ cultor inspiciat summa cum vigilantia sacrum codicem (sic cum de Tabernaculo Act. IX. vers. 36. dicitur, eam fuisse plenam operibus bonis & Eleemosynis, quas præstabat; meditatio potest institui de utilitate Eleemosynarum, eas nos facere divites, cum tamen pecuniam nostram erogandam exigant), Philologos sacros, Exegetas, Dogmaticos, Mora-

Moralistas, Cafistas, Homiletas, Patres Ecclesie græcos & latinos; historiam Ecclesiasticam, literariam, naturalem, imo etiam profanam & gentilem; Antiquitates Ebræas, Græcas & Romanas. Qui libri præ aliis Excerpendo inserviant, docent, qui de notitia autorum scripserunt; non paucos collegit supra allegatus Udenius in appendice; & qui ad Oratoriam sacram pertinent, eos exhibet Clarissimus Ludovici Rector Gymnasii Sleusingensis vigilantissimus in libro, quem de excerpenti studio in Oratoria sacra edidit.

IV.

2) Excerpendum est e sermonibus, quos ex aliorum ore audimus, si quidem acumen aliquod sapiant. Ergo probe attendendum, quid in Orationibus sacris & profanis item in discursibus privatis occurrat. Si tale quid proferatur a Viro gravi, potest allegari, sin minus tacendus est. Ita notabam maximo cum gaudio simile, quod non minus ingeniosus, quam pius Vir Feria 2. Pentecostes hujus anni pro concione publica afferebat: Sacerdotes bene docentes, male autem viventes similes esse Leoni, qui Simsoni quidem mel porrigebat, putridum tamen cadaver erat. Valde etiam placebat, notatuque videbatur dignum, quod non ita pridem amicus quidam de Patre suo referebat, qui febre ardente laborans in medio paxorysimo se credidisset mortuum, hinc etiam, quia verba præ nimia imbecillitate ore formare nescivisset, mensæ inscripisset hæc verba: Sum mortuus: Sacerdotem autem acutissimum subscripsisse: Sed in Christo vivus, cui etiam decumbens Pater annuisset.

V.

3) Excerpendum est ex aliorum factis: quidam enim nil loquentes multa factis dicunt, quæ si singularia, præter mittenda non sunt. Ita experimur, prolixas orationes audientibus esse quandoque molestissimas, ideo torvo vultu, facie aversâ, vel habitu tædium non dissimulant, reliquosque præsentis docent à prolixis sermonibus abstinendum, si cum occupatis, politicis & expeditis viris nobis res est. E gestibus aliorum etiam nonnulla sunt notanda, ut ad eos nostros componamus.

VI.

Denique 4) Excerpendum est è multis aliis locis, ut templis,

Collegiis, Scholis, arcibus, curiis, bibliothecis, portis, castris doloris, trophæis aliisque ædificiis publicis, item è vexillis, numismatibus, sepulchris, epitaphiis, hortis, domibus privatis &c. siquid ipsis inscriptum, quod annotationem mereatur. Hoc imprimis peregrinantibus observandum, quippe quibus optima curiosas res colligendi suppeditatur occasio. Inde pugillares his aliisque semper debent in promptu esse, ne quid notatu dignum mittatur. Quis itaque negligentibus oculis & manibus tractaret distichon, quod in vestibulo Curia nostræ Lipsiensis nigrae tabulae aureis literis inscriptum, sequentisque tenoris est:

Hæc domus Odit. Amat. Punit. Conservat. Honorat.

Nequitiam. Pacem. Crimina. Jura. Probos.

Ideam enim exhibet officiorum, quæ curiâ administrantibus incumbunt. Paucis abhinc annis eram Boleslavia in Silesia, cum templum ibi conspicerem, offendebam in parte ejus exteriori epithaphia quædam eruditorum, ut Opitii aliorumque. Inter ea mihi arridebat maximè sequens, cujus initium sic sonabat: Hic jacet Dominus Casparus Kirchnerus, Philosophus & Poëta clarus, quo nemo plures artes didicit, nemo pauciores jactavit. Verba hæc examinans, cogitabam apud me, prius membrum laudis terminos quidem transgressum fuisse, cum posteriore tamen conjunctum ingenium prode re Autoris non simplicis, & singularem eruditi modestiam. Hæc forsitan erunt primaria loca Excerpti studio apta, ad quæ reliqua, si dantur, reduci commode poterunt.

MEMBRUM IV.

Quomodo sit excerptendum?

I.

IN hac quarta sectione, ubi de excerpti modo nobis videndum est, uno vocabulo omnia comprehendemus: Excerpe breviter; & hoc ideo, quia prolixitatem neque folia, in quibus excerpta nostra conscribuntur, neque tempus, excerptorum perfectioni destinatum admittunt: In excerptis enim omnia in nuce nobis exhiberi volunt.

II. Sed

II.

Sed quomodo res prolixæ ad brevitatem revocandæ? hoc fieri potest quam commodissime, si respiciamus ad theses principales accessoriis omissis; si circumstantias observe mus primarias adq; titulū nostrū facientes minus principalibus relictis. Et hoc modo poterit quis integras Epistolas, Orationes, disputationes, imo integros libros excerpere. Apponerem hic de singulis speciebus exempla quædam, nisi disputationis nostræ pagina aliud svaderent, & illud jam pridem demonstraissent Lipsienses nostri de Republica litteraria egregiè meriti in Actis suis. De epistolis, poëmatibus, & orationibus exempla fere innumera exhibet *Celeberrimus Dominus Weisius in Logices sue Parte-Practica libr. 3. c. 3. de Interpretatione: in Institutionibus suis Oratoriis libr. Progymnasmatum cap. 7. & in toto fere libro utilissimo de Imitatione.*

III.

Omnia tandem huc redeunt, ut quis artificium periodos contrahendi probe noverit. Quædam in libris obvia jam sunt brevia, hinc nulla contractione indigentia, ut illud e Senecæ epistola 123. nemo casu bonus, discenda virtus est; quædam ita comparata, ut fere brevius, quam in libris extant, contrahi non possint, cum omnes pene circumstantiæ ad rem aliquid conferant, in primis in eis, quæ Ideam rei alicujus sistunt, ut illud Domini de Jena de R. Stat. diss. XI. Concl. VI. Quid sit tot millibus imperare, singulorum precibus apte respondere, gentium nationumque diversarum mores formare, consiliis & armis sceptrum juste regere, aut paucissimi satis anxie examinavere, aut nemo. Conf. Becmanni Consp. Polit. cap. I. p. 3.

IV.

Quædam verò bene possunt contrahi, dummodo argumentum principale observetur. Busbequius in Epistolis suis p. 32. ita scribit: Turcæ flores valde excolunt: neque dubitant, alioqui minime prodigi, in eximio flore aliquot asperorum sumptum facere. Mihi quoque illi flores eaque dona non parvo constabant: Erant enim semper aliquot asperi promendi, quos contra rependerem.

B 3

Neque

Neque aliter rationem instituere oportet eum, qui sit cum Turcis
versaturus, quam ut simulac eorum fines ingressus sit, aperiat mar-
supium, neque ante claudat, quam jam illinc egressus: interea per-
petuam nummorum sementem faciat, utinam ne infrugiferam. Sed
tamen ut alius fructus desit, hæc una ratio est, Turcarum ingenia
fera & à reliquis averfa gentibus mitigandi. Hoc veluti cantu Tur-
cæ confopiuntur: alioqui non futuri tractabiles. Absque hoc fo-
ret; non magis ea loca externis hominibus frequentari possent,
quam quæ propter nimium æstum aut frigus perpetuæ solitudini da-
mnata creduntur. Hoc integrum pensum sic contrahatur: Exteri
Turcarum animos rigidos pecunia sibi conciliare possunt.

V.

Valde in primis contractionem juvat latina lingua Teutonica
brevior. Sic integra Historia, quam Harsdörffer in *Schauplatz
jämmerlicher Nord-Geschichte* pag. 642. à § 3. ad 12. exhibet, hoc
breviter in se comprehendit: Goldingæ tres pessimi nobiles cum sar-
tore quodam impio pactum inibant, se nolle per 8. annos 1.) ullum
Pater noster orare 2.) se lavare, crines unguesque suos refocare: Pec-
cabant interim gravissime, duo post quatuor annos peribant misere
duobus mirabiliter conversis.

VI.

Objiciunt quidem nonnulli, omnia excerptenda esse lingua
Germanica, quia postmodum excerptis eodem idiomate utimur,
& quandoque tempus non suppetit, ut de versione quadam ger-
manica cogitemus. Ast quod ad primun attinet, dico & multa u-
surpari lingua latina, hinc compendiosior ad praxin via est; Quod
concernit alterum, notum est, exercitatum latinum non multum ad
versionem requirere temporis; nec verba, uti in excerptis jacent,
semper retinentur, sed ad artis regulas magis composita referuntur.
Qui tamen latinæ linguæ non admodum sunt periti, iis svadendum,
ut singula excerptant vernacula.

VII.

Dantur insuper & alii casus, ubi latialis lingua excerptis non satis commode applicari potest, nempe 1) si autoris ipsius verba allegare gestimus, ut Lohensteins ex Arminii P. 2. p. 1120. Das Frauenzimmer gleicht den Rosenstreich; wenn sie voll Rosen stehen / erweist man ihnen alle ersinnliche Ehrerbietung / wenn man sie ihnen einmahl abgebrochen hat / siehet man sie nicht über den Zaun an. Ihr anfangs angebeteter Leib wirfft nach dem Genüße den Schatten der Verachtung hinter sich / und ihre vorher himmlisch-gepriesene Schönheiten werden in einer Stunde in den Augen ihrer Liebhaber / wie die Farben der Regenbogen zu Wasser. 2) Si quaedam verba in alia præter authenticam lingua vix possunt reddi & exprimi ita ut innatam svavitatem retineant, quod imprimis in locutionibus proverbialibus accidit, ut in hoc: ¶ En Orange il n'y a point d'Oranges, de cuius veritate disputandi locus hic non est; item in sequenti. Gleiche Brüder / gleiche Kappen. Plura de Membro hoc urgere supersedeo.

MEMBRUM V.

Quo Excerptum redigendum sit?

I.

OMnia excerpuntur ideo, ut iis nobismet ipsis & aliis profimus. Hinc etiam eo redigenda sunt, ut reperiri sine magna molestia queant. Duo autem sunt excerptorum receptacula; alterum *Miscellanea*, *Collectanea* alterum. Ad hæc itaque in præsentis membro respiciemus.

II.

Miscellanea sunt ejusmodi libri, quibus varii argumenti res continuâ serie inscribuntur. Dantur quidem inter eruditos, qui
alium

alium Miscellaneorum librum rebus Theologicis, alium Philosophicis, alium Politicis, alium Oratoriis &c. destinatum singulosque distincti coloris chartæ involutos volunt. Ast quia Miscellanea à miscendo nomen habent, & res diversissimarum materiarum iis salva conscientia committi queunt.

III.

Miscellaneis tunc imprimis habemus opus 1) cum excerpta sunt proluxiora, quam ut iis Collectaneorum paginas complere velimus, sed potius eo e Miscellaneis allegemus; 2) cum adæquatus titulus ob temporis iudiciiue defectum non est in promptu, qui tamen cum incidit, in margine notandus. Allegationes libri, capituli, paginae & paragraphi sint iustæ; notetur etiam editio & forma libri, item prænomen & agnomen auctoris, ut omnis evitetur confusio.

IV.

Politicus, quem prolixitatis tædet, optime sibi consulit, si curiosissima eaque novissima colligit, Miscellaneis commendat, sæpe perlegit, & inde loquendi materiam petit: Qui vero laboris sunt patientes, iudicii firmi, innumerasque loquendi scribendique necessitates præ se vident, post Miscellanea etiam Collectanea sibi comparent. Et hic tangenda nobis tria: *Collectaneorum Species, Tituli & Indices.*

V.

Multas dari Collectaneorum Species novit, qui multifaria in foro literario argumenta perpendit. Sic habebit studiosus Philosophiæ Collectanea philosophica, vel in disciplinas omnes conjunctim, vel in singulas separatim, præcipue in eam, cui præ aliis incumbit; Politicus studiosus, cui sæpe loquendum & scribendum, cogitet de Oratoriis, item de Historicis, Geographicis, Genealogicis, in Jus-Publicum & Personalibus, quibus nec reliqui commode carere possunt, hisque inscribuntur, quæ de Eruditis, nec non in fago & toga celeberrimis Viris nos informant; Medicinæ & Juris
pru-

prudentiæ cultores etiam sua habebunt. Theologiæ studiosus com-
paret sibi Thetica, Polemica, Moralia (si placet, separatim in deca-
logum) Casistica, Historica, Exegetica, & futurus Orator sacer
Homiletica, in quibus continentur Exegetica, Dispositoria & De-
ductoria, hæc versantur circa Dogmata, mores, afflictiones, casusq;
speciales &c. Quæ mens est *Summe Reverendi atq; Excellentissimi*
nostri Seeligmanni Patroni, Præceptoris studiorumq; meorum Suscepto-
ris & Promotoris ad cineres usq; cum maxima animi submissione Sum-
me devenerandi in Oratorio suo sacro, quod cum auditoribus suis
communicavit quam fidelissime, quibus partibus singulis singulæ
pagina tribui possunt. Formari etiam possunt homiletica in solas
pericopas Evangelicas & Epistolicas.

VI.

Notanda hic duo 1) idem excerptum ad diversas Collectaneo-
rum species diversosque titulos referri posse, quod iis inprimis no-
tandum, qui pauca excerpta habent, ista tamen in variis loquendi
occasionibus adhibere volunt, In Itinerario d'Emilliane p. 287.
legitur, esse Assisi in Italia Francisci & Dominici sepulchrum, eo-
rum corpora incorrupta, propria virtute erecta sibi que invicem
manus porrigentia ob amicitiam veterem. Hoc spectat tum ad
Geographica de Oppido Assisi, tum ad Personalia de St. Francisco
& Dominico, tum ad Oratoria de Corporibus incorruptis, Amicis
bonis, item Amicitia & Amoris Efficacia.

VII.

2) Res profanas ad sacras applicari posse, si per accuratam me-
ditationem de circumstantiis singulis cogitaverimus. Della Valle
narrat in Itinerario suo P. I. p. 53. nemini licere coram Imperatore
Turcico apparere, nisi in ea veste, quam Imperator ipse transmisit.
Hoc usum habet in Theologicis, quia coram DEO nemo sine veste
innocentiæ & Justitiæ Christi apparere potest; Tituli sunt præces, Ju-
stitia &c. Hoc inprimis cum Emblematis procedit: Pinxit quis
Thuribulum in altari cum lemmate: pereundo Numen adoro.

C

Hoc

Hoc optime quadrat ad Christi passionem & mortem, item ad
martyrium.

VIII.

De Titulis formandis ita sentio: 1) fiant lingua latina, si quidem Collectanea ipsa eadem conscribantur; Sunt tamen voces quædam, quas latine reddere vix aut non satis commode possumus, ut *Αυτάρχεια*, Ingenieur, Banco, die Gott-Gelassenheit/item die Börse & innumeræ aliæ, quas lingua notissima adhibere præstat, aut Onomatopœia usurpanda. 2) Sint perspicui, non ænigmatici & metaphorici, hinc erraret, qui faceret Titulum Regina Virtutum & inteligeret Justitiam; longe petiti produnt quidem acumen, non tamen coacti esse debent. 3) Quidam sint simplices & generales, ut Pater; Quidam compositi & speciales, ut Pater fidelis, prout nempe desiderat materia: non autem nimis speciales, ut Pater fidelis erga filium recens natum. Sic enim indicibus brevi tempore ne minimum quidem superfuturum esset spatiolum. 4) Terminus primarius est præponendus; ita male ageret, qui formaret titulum: Fidelitas Patris: bene, qui: Patris fidelitas 5) Quandoque integra proverbia Titulorum vices sustinent v. gr. Similis Simili gaudet, it. Narren-Spiel will Naum haben. 6) In quibusdam excerptis tituli elucent clarissime. Caselius dicit libr. 1. Epist. 2. Adulatores sunt blandi parriidæ Principis & Reipbl. quis non videt, sermonem esse de adulatore aulico; In quibusdam non statim in oculos incurrunt, sed per meditationem eruendi sunt. Mallet refert in Cosmographia sua P. 2. p. 86. quod summus Turcarum sacerdos, Musti dictus, magnates ab itinere Medinensi ad Mahometis sepulchrum absolvat, si modo alium aliquem sui loco mittant. Ex hoc fluit titulus: Imputatio alienæ Pietatis; In quibusdam titulus alter clare apparet, alter tamen excogitandus, si de novo solliciti fuerimus casu, quod in primis circa emblematum usum accidit, in quibus tum ad imaginem, tum ad inscriptionem oculos dirigere jubemur. Pingebat quis campanam cum lemmate: quid moles, si non moves. Hoc spectat ratione imaginis ad titulum campanæ; ratione inscriptionis & applicationis ad divitias sine usu, & corpus ineptum.

IX. Quod

IX.

Quod deniq; Collectaneorum Indices concernit, sciendum 1) In Collectaneis Philosophicis, Politicis nimirum Historicis, Geographicis & Genealogicis, it. in Theologicis Indices esse ipsos libros philosophicos, Politicos & Theologicos charta pura foliis intermixta, cui paginae Collectaneorum sedem ostendentes, cum rebus eo spectantibus breviter inscribuntur. 2) Exegeticorum & homileticorum Index sunt sacra Biblia, quorum dictis paginae Collectaneorum folia intimantes apponuntur. 3) Ad Oratoria vero & Personalia componendus est per omnes Alphabeti literas peculiaris Index, quam prolixus, cujuslibet dicet Judicium, prout videbit multos ad hanc illamve literam titulos pertinere; Et commodissimum est, cum vel duas, ut Aa, Ab, Ac, vel tres initiales literas, ut Aba, Abb, Abd, componimus.

X.

Et hæc etiam sunt, quæ de Excerptandi studio hac vice conscribere valui. Multa illustrassem exemplis, si destinatus foliorum numerus id concessisset, Placeant interim hæc Lectori Benevolo, cui mecum DEUS ter optimus maximus ad laborem hunc utilissimum & maxime necessarium vires porro indulgere velit clementissime!

F I N I S.





21417

